



**E** Berhardus filius fuit Huldrici comitis Vuir-  
tenbergensis. Is post patris obitum cum fra-  
tre Huldrico paternam ditionem diuisit, atq; ob  
plurimas corporis & animi uirtutes inter Germa-  
niæ proceres in magna existimat ione fuit. Acci-  
dit autem anno millesimo trecentesimo quadra-  
gesimotertio, ut lites cum domo Austriaca inter-  
ciderent, propter oppidum Eheingen, quod dux  
Austriæ certis conditionibus à comite de Schel-  
ckingen sibi comparauerat. Itaq; copijs collectis  
partes ad Mengen oppidum confederunt. In ea  
expeditione Eberhardus suos hostes superauit,  
loca obsessa in deditioem accepit. Vnde is suum

comitatum plurimùm auxit, & tandem anno millesimo trecentesimo nona-  
gesimotertio obiit. Naucles. Generat, à nato Christo quadragesi  
maquina.